

Finthovez in eadem Finthovez aliter Breztovicza, Martini Chernchich de Gostovincz, Ladislai Stanek in praedicta Gostovincz et Rewche, Lucae Koos in Kolarczy, Petri Janschak in Lukachovez, Joannis Guzar, Petri Zerblinovich, Andreae Jussak in Bogachevina aliter Sipowczy, Joannis Mrazovich, Georgii Koritich in Mrazovez, Pauli Dolecz, Michaelis Nemecz in Finchovez, Vincza et Breztovicza sic dictis Possessionibus, una cum portione ipsorum Promonthorali Velika Obres nuncupata, omnino in Comitatu Crisiensi et Regno Sclavoniae existentibus habitas, quae numerum Triginta duorum Colonorum non excedere, ac in quarum quieto et pacifico Dominio realique usu iidem maiores et progenitores suos utriusque sexus ab antiquo praestitisse, seseque etiam de praesenti pacifice persistere, Litterasque et Litteralia Instrumenta sufficientia habuisse, quae etiam nunc in parte exstare, in parte vero superioribus disturbiorum temporibus a sese deperdita et abalienata esse asserunt. Totum item et omne Jus praefatae Sacratissimae Caesariae Regiaeque Maiestatis Regium, si quod sua Maiestas in praetactis totalibus portionibus possessionariis et Curiis Nobilitaribus in antelatis Possessionibus Kobiline, Jakussovez, Felső Radussichy, Voynovezy, Hisanovez, Drobkovez, Zaistovez, Popovez aliter Ugrinovez, Finthovez aliter Breztovicza, Gostovincz, Rewese, Kolarczy, Lukachovez, Bogachevina aliter Sipowczy, Mrazovez, Finchovez, Vincza et Breztovicza, nec non portione promonthorali Velika Obres, omnino in annotato Comitatu Crisiensi et Regno Sclavoniae existentibus habitis, etiam aliter qualitercunque haberet, aut eadem suam ex quibuscunque causis, viis, modis et rationibus concerneret Maiestatem, simul cum cunctis suis utilitatibus et pertinentiis quibuslibet, terris scilicet arabilibus, cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, campis, foenetis, sylvis, nemoribus, montibus, vallibus, vineis, vinearumque promonthoriis, aquis, fluviis, piscinis, piscaturis, aquarumque decursibus, molendinis et eorundem Locis, generaliter vero quarumlibet utilitatum et pertinentiarum suarum integritatibus, quovis nomine, vocabulo vocitatis, sub suis metis et antiquis limitibus existentibus, ac ad easdem de jure et ab antiquo spectantibus et pertinere debentibus, praemissisque sic ut praefertur stantibus seque habentibus memoratis personis, cuique videlicet eorum in bonis praedecaratis pro rata et congruenti portione ramumque Genealogiae, vel si qui eorum uxorio jure possiderent, eisdem superstitibus, eorum uxoribus nec non etiam fratribus congenerationalibus et divisionalibus cum ipsis in possessu praenotatorum Bonorum pro nunc persistentibus et portionatis ipsorumque omnium haeredibus et posteritatibus utriusque sexus universis, Autoritate Nostra Palatinali, qua etiam hac in parte pleno jure fungimur (si et in quantum ad aliquam Ecclesiam vel Suae Maiestatis Arcem non pertinent) novae Donationis titulo dedimus, donavimus et contulimus, imo damus, donamus et conferrimus, jure perpetuo et irrevocabiliter tenendas, possidendas pariter et habendas salvo jure alieno. Harum nostrarum pendentis et Authentici Sigilli nostri munimine roboraturum vigore et testimonio mediante Litterarum, quas praelibata Sacratissima Caesareo-Regia Maiestas in formam privilegii sui redigi faciet, dum Suae Majestati in specie fuerint reportatae. Datum Posonii die vigesima Tertia Mensis Martii Anno Domini 1613, Regnorum Maiestatis Caesariae Regiae Romani primo, Hungariae et reliquorum quinto, Bohemiae vero Anno secundo. Quartarum Litterarum continentia sequitur in haec verba: Spectabili ac Magnifico Domino Comiti Thomae Erdödy de Monyorokerek, Montis Claudii et Co-